

AD CENSURAM CAPITIS XXI.

De ministerio verbi Divini, deq; ordinibus Ministrorum.

Mirumne est, Lector, Censuram hanc, in vastum volumen exisse? Eadem centies censentur, & sine causa. Nec a minimis abstinetur. Et aded curiosum & subtile aliquando acumen est, ut nescias quid censeatur. Caput hoc vide & palpabis. Quid hic non cribrat & ventilat novus hic vitiligator potius quam Censor? A titulo orditur. Aded tener est ejus oculus ut illum non ferat. Et quid in eo taxat?

Primo, inquit, Remonstr. *Capite hoc toto non agunt nisi de Ministerio N. Test. Veteris Test. omnino præterito.* Nempe igitur multo majore Censura dignus est Apostolus, qui se & Apostolos omnes cæteros non tantum dicit esse ministros N. Test. præterito Vetere, sed etiam disertè negat esse Ministros Veteris Test. ij. Cor. iij. vers. 6. *Qui etiam fecit ut idonei simus ministri novi Fæderis, non literæ, sed Spiritus:* Quod si idem dixissent Remonstr. an non cum Apostolo multò plus dixissent quam hic dicunt? *Ac ne unum quidem testimonium ex V. Test. producant,* inquit Censor. Nempe & hoc necesse erat fieri, ut Orthodoxa esset Declaratio: At si clara satis sunt testimonia, quæ ex N. Test. citantur, an non hoc sufficit? Sanè, nã Vetus Test. ejusq; ministerium, ut divinum & a Deo profectum, disertè confirmatur in N. Test. Quæ analogia, proportio, & convenientia inter utrumq; sit, non est huius loci inquirere. In præcedentibus id satis superq; factum est. *Deinde,* inquit Censor, *totum Ministerium sacrum definire videri possunt Ministerio Verbi divini, ita ut omnibus communem faciant ejus administrationem.* Quasi verò id ex titulo colligatur, qui est de Ministerio verbi divini, deq; gradibus Ministrorum. Pudet, dicam, an piget? tam futilium consequentiarum. Ministerium Verbi divini nominatim tantum describunt, quia primum est, quod fundandis cæteris ministeriis necessarium est, & principem meritò locum ac gradum tenet inter ministeria. Paragrapho primo quid censeatur hariolandum pænè est. In suspiciõne videtur vocare Censor, *quasi Remonstr. publicans verbi prædicationem non statuunt medium necessarium a Deo ordinatum ad conversionem hominum,* directè contra scopum,

Cavilli aliquot diluuntur ex ordine.